



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Anhæres pro Missis legatis debeat stipendium, quod currit tempore
dispositionis, an tempore executionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ponunt Berous, & Guido Papa apud March. de ord. tract. 2. part. 2. cap. 12. num. 2. docentis, ubi Testator meminit quantitatis solvendæ pro Missis, (idem dicunt in similibus dubiis dispositionibus pro quacunque materia) quamvis quantitas sit insufficientis ad dispositas Missas, non tamen hæredem, nisi ad quantitatem assignatam, & nullo modo ad supplementum. Ratio est Primo, quia ex quo testator meminit quantitatis pecuniæ, præsumitur illam principaliter, & taxativè voluisse, & non aliam infumam, quia talis est natura amoris pecuniæ, ut homines in similibus dispositionibus communiter mentem maxime apponant ad deliberandum de quantitate infumenda; Vnde, si assignant, multum deliberat eam assignant, atque adeo principaliter, & taxativè. Secundum, quia, ut lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 4. diximus, non est imponendum onus grave, nisi certò de illo constet, ac nunc non certò constat, quia testatoris verba, de quibus agimus, dubia sunt. Tertio, quia in dubio melior est conditio possidentis. At nunc Hæres eam possidet. Quarto, docent non ignobiles Doctores (Mol. Sanch. Menoch. Mantica, & Bonac de contr. disp. 3. quæst. 17. part. 7. m. 7. addens Sanchez esse pro hac opinione in summa, cap. 13. m. 8. & cap. 15. m. 49. licet sibi contrarium lib. 3. de marim. d. 18. num. 24.) semper præsumi Testatorem voluisse gravare hæredem, quam minimum possibile est, l. unum. ex sam. §. si rem, ff. de legat. 2. & in dubio semper fieri interpretationem pro hærede contra legatarium, vel fideicommissarium, l. apud. Jul. §. Scio, ff. de legatis 1. nec eandem esse rationem de legatis etiam piis, ac de testamentis, cum Testamenta ample explicanda sunt, l. in testam. ff. de reg. jur. non ita legata, quantumvis pia. Cum igitur hic præcipue agamus de legatis Missarum, & quidem dubiis, Interpretatio non pro legato, sed pro hæredibus facienda est, adeoque ad nihil, nisi ad assignatam nominatim pecuniam, sunt hæredes compellendi.

Hæc nobis, quæ Iurisperitorum sunt propria, rudi Mineræ insinuasle sufficiat. Certe Fraxinellus de Sacerd. oblig. lib. 4. §. 24. num. 2. ex hoc capite, quia Testatores Communiter curant gravare suos hæredes quam minimum possunt, unde non sit certum, quod præsumi possit mentem illorum fuisse, ut aucto decursu temporis Missæ stipendio, hæredes teneantur ad augendum stipendium colligere non esse impossibile non teneri. Esto teneantur etiam, probabiliter doceat cum aliis Diana part. 2. tract. 14. resol. 17.

De Hære pro Missis legatis debeat stipendium, quod currit tempore dispositionis, an tempore executionis?

83. Dubitabis Vndecimo, quando Testator non expressit quantitatem pecuniæ, sed disposuit ut celebrentur Missæ v. g. in perpetuum, si contingat tempore dispositionis fuisse majus, vel minus Missæ stipendium, quam tempore, quo actu sunt celebrandæ, teneantur hæres ad pretium currentis, tempore dispositionis, an tempore executionis.

84. Dico teneri ad currentis tempore executionis. Ita Barrol. Gevin. Monera apud March. de ord. tract. 3. part. 2. cap. 22. num. 9. Ratio est, quia in tali dispositione Testator respicit principaliter ad tot Missas, ut ex supradictis constat, ergo præsumitur eas voluisse, quocunque dato stipendio, quod currit, quando dicendæ sunt Missæ, quod est tempus executionis.

85. Illud tamen adverte, quod si hæres negligenter se habuerit, nec curaverit Missas pro anima testatoris, intra competentis tempus celebrari (quod tempus si a testatore præscriptum non fuerit, quantum sit colligetur ex mox dicendis §. 9.) certe propter damnum, quod, causæ hæredis, inferretur Defuncto, si Missæ non celebrentur: supplere omnino illud, quod deest, ut ex se patet, dicentis hæres tenebitur.

Quid fiet de Decursu non solutis antea pro Missis, sed nunc redditus?

86. Dubitabis Duodecimo in hunc modum. Hæres quidam Testatoris, qui legavit centum aureos supra quandam fundum pro Missa quotidiana celebranda à Monasterio per decem annos non solvit talem summam, unde nec celebrare fuit tunc Missæ, reddit nunc Monasterio mille aureos, fructus scilicet, decem annorum præteritorum, potestne Monasterium illos retinere?

Respondeo, posse cum onere celebrandi Missas respondentes decem annis; Quod superest Monasterij est. Ratio est, quia fructus legati legatario debentur cum eodem onere, quo legati fuerunt. Ita Molina tom. 2. de infir. d. 20. §. 2. alique.

87. Quid si fuerint legati Sacerdoti Capellano v. g. talis Ecclesiæ: cum enim hic unus Sacerdos occupandus sit ad explendam quotidianam Missam, quæ deinceps celebranda erit ad Missas præteritas supplendas non sufficit.

Respondeo. Suppleat per alios, sicut supplere etiam Monasterium per suos varios Sacerdotes, potuit, quodque superest, Capellani erit propter eandem rationem modo dictam: per illam enim pinguius elemosinam præsumitur Testator Capellano, sicut Monasterio benefacere voluisse.

88. Vnum adverterem. Nam si redditus, seu elemosyna legata, esset Missis adæquate respondens, hoc est, non esset pinguis seu excedens, tunc non statim præsumere oportet. Testatorem voluisse Capellano gratificari, posset enim tunc dici solum illum voluisse merum numerum Missarum. Quare si eveniret casus prædictus, quando pro Missis non celebratis redderetur magna summa, distinguendum esset. Si enim ex circumstantiis colligatur Capellano voluisse Testatorum gratificari, ut si Capellanus fuisset Testatoris consanguineus, concivis, pauper, &c. Capellano cum prædicto onere faciendi celebrare Missas non tunc celebratas competeret illud ius faciendi celebrare. Sed si id non colligatur, posset hæres ex se facere supplere per alios. Ratio est, quia in priore casu, quando gratificatus fuit Capellanus, ipse ius videtur habere legati, in posteriore, solum ipsa Missæ celebrandæ.

Si tale legatum fuit additum loco, An reddita summa pro præteritis Missis requiratur omnino, ut Missæ celebrentur in loco à Testatore designato? colligetur ex dicendis infra c. 2. §. 1. a. n. 5.

Quid fiat si census relictus pro Missis pereat?

89. Dubitabis Decimotertio. Si census relictus pro Missis pereat in totum (nam si ex parte diminuat, quomodo recurrendum sit ad Pontificem supra §. 2. a. n. 1. vidimus) ad quid teneatur Ecclesiæ?

Respondeo, si cum sua culpa, tenetur, ut certum est, relatrice totum damnum, si nulla sua culpa, ad nihil obligatur. Ita Fraxinell. de oblig. Sacerd. lib. 4. m. 27. Ratio est, quia Ecclesiæ obligatur propter stipendium, & sub illo Testator eam obligavit: at hoc iam deest ergo, &c. Sanè ita accidit in Beneficio quocunque, quod datur propter Officium percunte enim fructu Beneficii, cessat obligatio ad officium. Nec tunc est recurrendum ad ullum Superiorem, si enim perit census, ad quid moderatio petenda erit?

Quid si non pereat, sed minuaturs census, & non possit adiri Pontifex?

90. Dubitabis Decimoquarto. Quid si ita diminuat propter aliquod caput ex dictis §. 2. n. 1. Ut stipendium fiat evidenter minus infimo iusto, nec hæres suppleat; & Capellanus non possit adire Pontificem?

Respondeo. Castrop. de Sacram. tract. 22. d. vinca de Euch.